



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

7. Dies Januarii. Sive parum sive multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest. Aug. Tract. 18. in Ioan.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

7. DIES JANUARIi.

Sive parum sive multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest.

Aug. Tract. 18. in Ioan.

Præter directionē I. hominis requiritur Gratia Dei. Ab ea habes ut possis.

Parum proderit, imò multum oberit, nactum fuisset gnarum, & gnavum, qui te instruat Magistrum, cuius instinctu cognoscas faciendā, nisi cognita facias. Trina sunt, quæ te deducant ad SS. Trinitatem, Possē, Velle, Facere. Possē habes à Patre, ex quo omnia. Velle à Filio, per quem omnia. Facere à Spiritu Sancto, in quo omnia. Possē facere bonum, unde merearis cælum; ejus solius potes auxilio, à quo est omne bonum, imò qui ipse est omne, & totum, & summum Bonum. Hoc auxilium, quia sine meritis nostris datur gratis, vocatur Gratia. Hæc nisi in via ad vitam euntem præeat, comitetur, sequatur, totum tuum ire, nihil est nisi perire. Hinc intelliges ejus necessitatem, ex ea cognoscas ejus dignitatem, ex hac tui vilitatem. Quia sine ea non tantum parum, sed quo nihil minus potes, nihil potes: sine ea licet sis à Deo, tamen coram Deo es nihil. (a) *Si charitatem non habuero, nihil sum.* Hic te deprime infra omnia, ut agnoscas tuum nihil. Imò nihil non faciendum, ut intelligendo tuum nihilum, te nihili facias.

II. Ho-

(a) 1. Cor. 10. 13.

II. Homo es; undè homo nisi ab humo? Humo quid humilior? Elementum brutum est, & inter cætera imum. Humus ex nihilo est. Hæc tui est origo. Sed qui nihil es, nec potes per te, omnia potes ejus auxilio, per quem es. Hoc auxilium ut nihil non possis, semper tibi adest: & dum adest, nihil tibi deest; modo tibi non desit. Felicissimus es, modò agnoscas te felicem, & cognoscas tuam felicitatem, Eam intelliges, & simul diliges, si quid sit Gratia, quæ animam nobilitat cognoscas. Intellige quid sit Gratia, & stupebis hæctenus à te non intellectos, immensos, quos possides thesauros. Gratia est pulchritudinis divinæ quædam particula, animæ divinitus infusa, tam amabili luce eam venustans, ut rapiat in se Dei oculos, eamque non tantum quasi esset totus oculus in convivii obtutu aspiciat, sed ut pupillam oculi diligat. Hæc Gratia, anima supra limites terræ, & ultra omne, quod est naturæ, evecta, impatiens humani reperere, nec gentilitii luti jam vernacula, fit repente Divinæ particeps naturæ, consors gloriæ, hæres regni.

III. Æstima nunc inæstimabilem tuam sortem, dum divinæ naturæ es consors; & simul plange intolerabilem qua insanis, insaniam, dum tanti boni facile jacturam facis, & fecisse, nihili facis. Quem si quando ex illo excelsissimo dignitatis gradu, & felicitatis statu excors vecordia volvit præceps, tanti casus dolor nec gemitum è corde exprimit: tantum abest, ut dum Gratia jam abest, exhorrescas animo, & contremiscas corpore, esse te è statu, & ordine ultra Seraphinorum conditionem constituto, infra belluas, monstra, demones immani ruinâ devolutum,

reum odii omnium, & quod sequitur, supplicii sempiterni. Non possum nec ego dicendo efferre, nec tu cogitando comprehendere, quid sit inferi in genus divinum, venire in partem divinitatis, undique infinitæ, unumq; cum eo conflare, & fieri quodammodo Deum. Hoc assequi cum sit suprâ vires naturæ, solus capit auctor naturæ. Sine hoc auxilio, (a) *Ipsa si cupiat salus, servare proفسus non potest* tuam animam. Ut ergò bonum possis, hoc bonum posce, ab eo sapiùs si poposceris dabit tibi. Promptior est enim Gratiam tibi dare, quàm tu, vel alius quispiam accipere. Urget enim ut accipere velis, & irascitur si nolis. Magni ergò fac illud donum, quod te facit magnum, & ex humili erigit in altum: datur enim ab eo qui ipse est donum Dei altissimi: nec est quod hic ultra poscas, nam si Poëtæ est fides.

Dum insuit hoc donum, confluit omne bonum.

8. DIES JANVARIII.

Nostrum est velle, sed voluntas ipsa & admonetur ut surgat, & sanatur ut valeat, & dilatatur ut capiat, & impletur ut habeat. *Aug. de Viduit.*

Non suf- I.
ficit posse,
opus est &
velle.

Nihil potest, ut quid agas Possesse, nisi sequatur & Velle. Ut quis bonum quod potest velit, est partim naturæ humanæ, partim gratiæ divinæ. Potes ergò bonum Velle; sed nec hoc posses, nisi ut monet tessera, gratia voluntatē & admoneret ut surgat, & sanaret ut valeat.

(a) *Terent. Adulph.*